

UVR-

UVR-  
qu

40

41

1799

L. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

De

# DIARRHOEA,

Quam

DIVINI NUMINIS AUSPICIO,

JUSSU ET AUTORITATE

GRATIOSISSIMI MEDICORUM OR-

DINIS IN HAC ALMA SALANA,

PRAESIDE

RECTORE h. t. MAGNIFICO,

DN. AUGUSTINO HENRICO

FASCHIO,

Med. Doct. Anatom. Chirurg. & Botanic.

Prof. Publ. Archiatro Ducali Saxonico,

*Dn. Patrono, Praeceptore ac Promotore suo submissa veneratione colendo,*

## PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET

PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME

CAPESSENDI,

*publico examini submitte*

DAVID *Ronic*!

Ilenburgensis Misnicus, Practicus Magdeburgensis.

IN AUDITORIO MAIORI

Horis ante- & pomeridianis consuetis

*Ad diem*

*Decembr. Anno c1o. 1oc. LXXXII.*



0052

DISSECTATIO IN ANATOMIA MEDICA

DIARRHOEA

DIURNI NUMERUS AESTIVUS

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI

DE QUANTITATE ALIMENTI





DEO DUCE ET AUSPICE  
CHRISTO!

PROOEMIUM.



Quamvis levis, imò sordida de excrementorum immoderatò fluxu materia videatur, ac propterea minus digna, de quâ sermones instituantur publici; Si tamen res hæc paulò consideretur intimiùs, suâ non caret utilitate. Eiusdem enim consideratio, Medico summè necessaria est, quâ in hujus rei cognitionem & perceptionem, monente sic Scaligero provehitur.

Proindè GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ jussu ac consensu de DIARRHOEA aliquid in medium proferre, & speciminis inauguralis locò placidæ artis peritorum ventilationi & discussioni proponere mecum constitui. Faxit DEUS TER OPT. MAX., ut omnia succedant

FELICITER.

1502.

§(4) §

§. I.

**O**Rigine vox hæc *Græca* est, diciturque *Διάρροια*, *Διάρροιν*, *διὰ τὴν Διὰ καὶ ῥέειν* à *perfluendo*; hinc *Διάρρῆω*, *diffluo*, *profluo*, & affectus præsentis nomen *Διάρροια*, quod vi nominis *latissimè* omnem fluxum seu profluvium denotat; *Strictè* verò comprehendit omnem alvi fluxum, sive is dysentericus, sive lientericus, coeliacus, cholericus, aut talis sit, de quo in præsentia agere mens est; *Strictissimè* autem de diverforum excrementorum stercoreorum & humorum aliorum, exceptò sanguine, per intestina profluvio frequenti & copioso, sine tamen inflammatione & exulceratione intestinorum, accipitur.

§. II.

Varia insuper affectus hic ab Autoribus accipit nomina; à quibusdam enim *fluxus* seu *profluvium ventris*; ab aliis *solutio alvi*, vel *alvus liquida*; item *ventris turbatio*, *τῆς κοιλίας ταραχὴ*, uti *Hippocr. f. 1. aph. 2.* habet; *Dejectio* item & *excretio* καὶ *ἔοχλω* vocatur. Germanis dicitur: *der Durchfall*; item *der weisse Fluß*; *die weisse Ruhr*/ad differentiam dysentericæ, quæ vocatur; *die rothe Ruhr*; Item *das Durchlaufen*.

§. III.

Nominis explicatione præmissâ, ad realem Diarrhœæ definitionem ut accedamus, consveta aliàs est methodus. Est autem **DIARRHOEA** *frequens & copiosa fecum alvinarum, humorumque vitiosorum, tum quantitate, tum qualitate peccantium excretio, ab irritatò intestinorum archæo dependens, citra eorundem exulcerationem aut exco-riationem.*

§. IV.



§. IV.

Generis loco ponimus *frequentem & copiosam excretionem fecum* alvinarum, quæ sensibus patet. *Εκκρεσιον* excretionem dicimus; quæ, cum motu peristaltico intesti-  
norum perficiatur, pater ad *motum* eam referendam esse. Motus verò cum actio sit; & hinc fiat immoderate, liquidò constat, affectum hunc ad *symptomata actionis lesæ* partim *aucta*, partim *depravata* referendum esse. Cum impetu enim archeus irritatus illud, quod intestinis molestiam parit, propellit & eliminat.

§. V.

Dicimus *copiosam & frequentem*; quo ipso eam distinctam volumus à naturalibus & criticis evacuationibus, quæ fiunt *ἐναίρεις καὶ μὲν ἐν πορείᾳ*, *tempestivè & cum tolerantia*. Neutiquam tamen negamus eundem affectum habito respectu ad *materiam excretam*, rectè quoque ad *symptomata excretorum & retentorum* referri posse; Siquidem hæc tum quantitate, tum qualitate, tum excernendi modò hinc à statu naturali recedit.

§. VI.

*Subiectum* hujus symptomatis ab Autoribus quibusdam in dubium vocatur, dum alii ventriculum, alii intestina, alii ventriculum & intestina simul accusant. *Nos PRINCIPALE* subiectum *intestina* dicimus, tenuia pariter ac crassa, quæ assumpta inque ventriculo fermentata, continuo suo ductu quidem excipiunt, non tamen propter vitium aut proprium, aut aliundè ab aliis communicatum visceribus, debitè retinent, sed justò citius, quam segregatio utilis ab inutili instituitur, deji-  
ciunt & exturbantur.



*Minus principale* subjectum & adaequatum ventriculus est, qui debilis dum non ritè deglutita fermentat, neque benè digerit, intestina ad citiùs egerendum disponit. Hæc etenim natura ita fabricavit, ut præter cibos fermentatos succos etiã excrementitios ex epate & pancreate & miliaribus glandulis recipiant, qui uti naturaliter fermentationi ulteriori & meliori chyli separationi, imò facultati expultrici clysteris naturalis adinstar, inserviunt; ita præternaturaliter quando justò acriores fuerint isti humores, eò magis stimulant, bonumque succum unã cum excrementis profundunt & ejiciunt. Massa enim sanguinea particulis heterogeneis, acibus, alcalinis, Æinis, inquinata, talibus sive sensim, sive cumulativim eò deductis, propter crassitiem particularum aut visciditatem excerni nesciis, copiã suã plexus intestinales & glandulosas eorum papillas occupat, easdem gravat, penetrat, & denique per earundem papillosam substantiam sese confertim exonerat, juxta assertum *Peyeri parerg. anatom. 1. cap. 8. p. 71.* Ex quibus omnibus subjectum, fomitis sive causæ satis fit manifestum.

## §. VIII.

Causa *proxima* sive immediata hujus excretionis copiosæ est archeus intestinorum irritatus. *Mediata proximator* sunt humores vel vapores, & hi quidem ob caloris debilitatem, à quã ructus & fluctuationes, originem trahunt. Illi verò vitium contraxere vel in ipsis intestinis, vel ex ventriculo eò communicatum, ut chylus corruptus; vel ex vicinis partibus eò deductum habent. Sunt autem hi humores acres Æini, de naturã alcali & quasi biliosi participantes, cujus vigore alterant, corrumpunt



punt, & liquefaciendo excrementitios humores intesti-  
naque laxando diarrhœam excitant; vix aliter, quàm  
purgantia exhibita, fermentando, colliquefaciendo &  
stimulando opus exerunt suum; unde & horum purga-  
tio in scholis medicorum diarrhœa artificialis non sine  
ratione dici potest.

§. IX.

Peccant verò prædicti *humores* effendi suò modo (1.)  
*quantitate*, ratione habitâ tam ad ipsa assumpta, quàm  
ad propriam naturam. Quò majus hic crimen, eò ma-  
gis ad diarrhœam intestina disponuntur. (2.) *qualitate*;  
ratione intemperiei modò calidæ, modò frigidæ, modò  
humidæ; ratione substantiæ vel crassi, viscidi, vel tennes,  
acres aut aliâ pravitate præditi, unde excrementorum  
variat color, dùm nigricantia, flavescantia, viridescantia,  
aquosa, mucosa, putrida, & talis fortis alia excernuntur.  
(3.) *Motu*, quando congesti aut coacervati in intestinis,  
aut aliundè eò detrusi cum excrementitiis biliosis & sali-  
nis fermentare incipiunt humores, motum peristalticum  
intestinorum ob intemperiem & mordacitatem turbant,  
& quicquid in corporis salutem protrudi naturaliter de-  
bet, justò citius exturbant & rejiciunt. Conspirant hic  
non solùm errores externi, sed extra intestina à totius sæ-  
pè corporis vitio fovetur, eoque illis morbifica commu-  
nicatur materia, præcipuè ubi cacochymia prædominium  
habet in corpore. Proindè hic attendenda veniunt *pulsio*  
ex toto corpore ad intestina, & *tractio* in ipsis intestinis,  
quæ recipiunt, sicque magis promovetur hic fluxus.

§. X.

Causæ *remotiores mediatae* sunt triplices. Inter  
*Naturales* eminet (1.) *Temperamentum humidum*, im-  
pri-

2506.

§§ (8) §§

primis & frigidum, quod suâ naturâ debilitat fermentum & tonum laxat intestinorum. Neque excludendum hic est *calidum & humidum*, quod licet optimum, multis tamen modis defœdari ac disponi potest, ut in Diarrhœam consentiat. (2.) *Habitus corporis* densus, transpirationem impediens magni quoque hic est momenti. Nam texturæ qui sunt densæ, teste *Gabelchov. cent. 3. cap. 73.* cutem habentes spissam, copiosius egerere solent per alvum, hincque magis dispositi ad Diarrhœam habentur. (3.) *Ætas* omnis consentit. *Infantes* teneriores adhuc, utpote magis humidi, dentitionis tempore admodum proclives ad diarrhœam, *3. aph. 25.* Et qui *ultra primas ætates progressi* sunt, *ætiolias diarrhoias* corripiuntur, *3. aph. 30.* *Senes* etiam frequentissimè hęc malò tentantur, idque sibi ferè familiare habent, *3. aph. 31.* (4.) Neq; ullus ab hęc malò immunis est *sexus*; sequior tamen magis pronus in idem. Similiter (5.) *Dispositio hereditaria*, & stimulus aut naturalis aut à morbo aliò dependens hic causæ vices sustinere possunt.

§. XI.

*Non naturalium* rerum in censu obtinet locum AER primum; imprimis æstuans nimis, biliosorum humorum felicior mater, fermentationem promovet, unde diebus canicularibus diarrhœæ frequentiores esse solent. Imber multus, continuus inter alios morbos etiam *καλινης ρυσιες*, *alvi profusio* excitat, humoresque movet juxta *16. aph. lib. 3.* Huc *Ἰπποκράτους μέρ* omne ferè anni tempus, addit. Ver licet *εὐνευστέλιον*, *saluberrimum* dicatur ab *Hippocr. 3. aph. 9.* pluviosum tamen hęc in effectu non planè excusandum, *3. aph. 11.* *Ætas* ipsa accusatur *3. aph. 12.* *Autumnus* propter fructus horarios hujus alio-



aliorumque morborum ferax. *Hyems* propter frigus & humiditatem suam alvum magis disponit.

§. XII.

Sequuntur *Cibus & potus*, qui ad diarrhœam inducendam plurimum conferunt, quatenus vel in alimentorum *quantitate*, vel *qualitate*, vel *modò utendi* peccatur, præcipuè si masticatio negligitur, aut eandem inordinata & immoderata comitatur ingurgitatio. Observatum enim est ab assumtis faciliè putrescentibus, acribus, fructibus horariis, malis persicis, melonibus, prunis, cucumeribus, aliisque diarrhœam fuisse exortam satis contumacem; imò à venenosâ qualitate pollentibus, lethalem. Ex uvis comestis diarrhœam novi per sextiduum durantem. Maximè etiam conferunt *pinguia omnia, oleosa, butyrum, carnes suilla; dulcia, mel, & alia; item fungi*, quos non immeritò *Seneca* venenum voluptuosum vocat. Celerem dejectionem, referente *Galeno de caus. sympt. lib. 3.* pariunt *humidiora & magis glutinosa*, quæ hiante palato avidè deglutiuntur, & largâ potûs infusi copiâ diluuntur. *Potus* impurus, inordinatus, nimius, mustum recens, cerevisia non, aut parùm, defœcata, & similia, fermentum ventriculi turbant, *à noviar* inducunt, & fluxum promovent. Ex pravâ victus ratione ortam diarrhœam, *oc̄to* annos durantem in nobili viro adnotavit *Riverius Cent. 2. obs. 47.* Spectant hùc etiam *purgantia (1.) fortiora*, quæ vel in majori dosi, vel intempestivè propinata, vehementiùs operantur & hypercatharses excitare solent. Idem nonnunquam, efficiunt (2.) *leniora, manna, cassia*, juxta *Plater. prax. med.*

B

torn.

tom. 3. cap. 11., & ex chemicis Oia digestiva, abstergentia, ex ꝑ. O. & aliis, alii aliàs dicata scopo, ceu multis docuit vicibus medicorum practica experientia.

## §. XIII.

*Motus* nimius, equitatio immodica, cursus celer, aliusque intempestivè & statim post cibum assumtum institutus, uti sanguinem nimis agit, humores liquat, eorumque fluxum promovet; ita exercitia corporis planè omiſſa succos pravy cumulant, eoque magis ad hunc fluxum disponunt. *Somni & vigiliarum* eadem est ferè ratio. Si exceſſerint aut defecerint, malum promovebunt. Longè autem validiores sunt *animi motus*, e. g. ira, quâ bilis moveretur humoresque in sui consortium trahuntur. Terror & timor idem ferè præstabunt. *Excernenda* aliter quando retinentur, aut consuetæ evacuationes suppressæ adsunt, plurimum disponunt. Sic *Rbodius cent. 2. obs. 84.* ex suppressâ □ à diarrhœam ortam adnotavit.

## §. XIV.

PRÆTERNATURALES sunt ventriculi & intesti-  
norum vel ab intemperie quâdam, vel aliunde dependens  
p.n. dispositio, quæ digestionem impedit. Bilis & succus  
pancreaticus à statu naturali discedentes, multum hîc con-  
ferunt. Morbi mesenterii eorumque abscessus hîc quo-  
que spectant; quos sæpius diarrhœa chylosa comitari so-  
let; quæ etiam phthisicis & tabidis superveniens eosdem  
brevis consumere valens satis est. Infantes frequentissi-  
mè à dentitione in alvi profluvium, plerumque tamen sa-  
lutare, incidere solent, juxta *apb. 25. Hipp. sect. 3.* In pe-  
ste

ſte Magdeburgenſi ſtatim in principio morbi ſymptoma- cum alvi fluxum aliquoties obſervavi. Ex ulcere bra- chiorum vel membrorum aliorum externorum purulen- tas diarrhœas quandoque excitari, teſtatur *Paræus*. Ex amputatis artubus ſimilem notavit *Lotichius lib. 6. ſect. 9.*

§. XV.

DIFFERENTIA pro varietate *materia* varia obser- vatur; nunc enim crassa, viscida, nunc fluida, tenuia reji- ciuntur; nunc mitior & pauca; nunc cum flatuum pro- ventu, nunc sine his; nunc torminosa & maligna, nunc tolerabilis & benigna est; nunc flavescencia, viridia, æru- ginosa, alba, flava, nigra, nunc serosa, aquosa rejiciuntur pro caufarum ratione. Sic nonnunquam Diarrhœa pin- gvis, oleosa observata est, *vid. Miscell. curios. ann. 2. obs. 20. p. 35.* & ossea à *Schenckio lib. 3. ſect. prior. obs. 137.* *Subje- ctum* differentiam constituit quatenus vel ibidem gene- ratur materia, vel aliundè eò detruditur. *Causæ* faciunt aliam *Criticam*, in declinatione morbi cum naturæ leva- mine supervenientem; aliam *ſymptomaticam*, maligni- tatem quandam soepè sibi habentem conjunctam. *Alia epidemica*, alia *habitualis*, quando alvus ad longum tem- pus fuit soluta, vel quando ex levissimo errore excitatur diarrhœa, vel *accidentalis*. *Alia* ab humoribus & excre- mentis modò biliosa, serosa, chylosa, colliquativa, sanio- sa, alia stercorea dicitur. Ab aliis verò morbis seu pro- fluvii differt, & quidem (1.) à *teneſmò* ubi validus egeren- di conatus; (2.) à *fluxu coliacò*, ubi alimenta nonnihil mutata, cruda tamen & non satis cocta; (3.) à *lienteriâ*, ubi cibi quales assumpti copiosè & celerrimè rejiciuntur;

semper tamen sine exulceratione. Differentiæ alia à cholera aliisque sangvinolentis profluviis desumpta ad oculos patent.

## §. XVI.

*Διάγνωση imminentem* diarrhœam à ructibus, flatibus, strepitu, elevatione & fluctuationibus ventris, murmuribus hypochondriorum, doloribus lumborum & conatu egerendi colligit. *Præsentem* ipsæ dejectiones confirmant crebriores liquidæ. *Essentialis* ex subjecti adæquati verâ cognitione patebit, quæ sibi conjuncta habet appetitus prostrationem, nauseam, pravam ingestorum digestionem, ructus nidorosos, liquidarum & pravarum fœcum excretionem, nunc viridium, nunc flavarum, nigricantium, albicantium, spumosarum. Nunc dolorosa gravitas in dextrâ hypochondrii hepar; nunc lienem in sinistro; gravitas capitis doloresque & catarrhi cerebrum; uterina symptomata uterum subjectum inhæsiōnis confirmant. Difficiles & dolorosos menses superveniens Diarrhœa meliorem hisce diebus peperit statum nobili cuidam Matronæ, testante sic *Magnif. Dn. D. Præside. Symptomata* morbis superveniens aliis facilè à priori distinguitur. *Critica* verò differt in eò, quod hæc cum *eupœsia*; alia verò cum virium dejectione invadat. *Alia* distinctiva signa à causis desumenda facilia sunt cognitu.

## §. XVII.

**PROGNOSTICA** signa eventum morbi concernunt, suntque vel *salutis* vel *mortis*. Omnis diarrhœa ex se, spontanea seu à natura instituta & critica, non nimia, periculi est expers, modò febris, præsertim maligna,  
ab-

absit. Purgatur enim sic corpus à pravis humoribus & quod molestum, in tempore excernitur. Tendit proinde ad salutem diarrhœa, mitis, benigna, non adeò vehemens, sine febre quæ est, quando excrementa naturalibus non valdè dissimilia excernuntur, quando vires non adeò consumuntur, vel prostratæ iterùm adhibitis medicamentis facilè refocillantur, & nulla tormina percipiuntur. Superveniens diarrhœa aliis morbis medelam adfert; nam ἐφθάλμιος, 6. *aph.* 17. surditatem, 4. *aph.* 48. leucophlegmatiam 7. *aph.* 28. solvit, Hippocratis testimonio.

§. XIX.

*Symptomata* verò principio morbi alicujus magni, e. g. febribus malignis, pesti &c. superveniens, vel quando ægri cum paucò alimento varia egerunt cum sensibili corporis & virium resolutione; ut & illa, quæ supervenit tabidis & phthisicis, colliquefactiva, ut plurimum est lethalis. Prægnantibus diarrhœa judicantur ab *Hipp.* 5. *aph.* 34. satis periculosa; reperta tamen sunt, quæ per totum ferè gestationis tempus diarrhœam habuerunt. Talis si fiat cum ἀφορμή & sine malis signis fuerit, nihil portendit mali. τω ἐκείνου post purgantia mala quidem, in tempore tamen facilè cicurari potest. Excreta livida, nigra, foetida similisque farinæ alia sunt pessima, imò lethalia. Innuunt enim viscera non sana & fermentum corruptum, malignum, putridum; undè subitaneus virium lapsus. Similiter epidemica, maligna, habitualis, periculi plenissima. Diarrhœa acutis superveniens morbis, pleuritidi, peripneumoniæ, mala, 6. *aph.* 16. Quod major hujus malitia, eò majus periculum est, & eò citiùs

1512.

§ (14) §

terminatur. Si ab epatis, mesenterii que vitio, aut à capite, aut à scorbuto, aut aliorum viscerum debilitate dependeat, longius durat; sin hæreditarium quid sapiat, ad mortis terminum comitari solet. In alios transmutata morbos diarrhoea exitialem eventum præparat, & quò magis à statu mitiori abit, eò periculosior evadit. Ita in dysenteriam, surditatem & alios abiisse, testantur *apophismi Hippocratici*; quæ mutatio nonnunquam benè, plerumque tamen malè cedit.

### §. XIX.

Non sufficit nosse, quid sit diarrhoea; sed necessum est nunc scire, quomodo sit curanda? Non tangenda est diarrhoea spontanea, quæ à motu naturæ dependet, neque corrigenda, nisi excedat. Critica non est turbanda, nec temerariè sistenda; saltim prospiciatur robori ventriculi. Sin perduret ultra tempus legitimum, medicamentis necessariis aliquid tentandum, ne protrahatur in symptomaticam. Remedia necessaria methodus medendi monstrat, quæ tribus nititur Indicationibus: I. *Curatoria*, quæ affectum ipsum tollere, morbumque & causas extirpare præcipit. II. *Præservatoria*, quæ causas disponentes & occasionales monet abigendas, peccantem materiam in tempore evacuandam symptomaticaque præcavenda. III. *Vitalis*, virium labefactarum, restaurationem & præsentium adhuc conservationem, procurat; Undè confortantia individuâ operâ conjugenda. Singulis indicationibus satis fieri poterit, auxiliorum remediis ex usitatis fontibus petitis.

§.XX.



E *Chirurgicò* fonte licet parum aut nihil auxilii sibi promittant hi ægrotantes, *vena Sectione* tamen febris perseverantia, epatis æstuatio, inflammatio, plethoræque vitium corrigetur, consentientibus nempè viribus, ætate aliisque circumstantiis institutâ. Sudent autem in splenicâ basilicam sinistram; in epaticâ & eâ, quæ à toto corpore, dextram basilicam; sin vires magnas ferre recusent evacuationes, venas manus aperiendas, effato *B. Rol-fincii Ord. & meth. cognof. part. corp. adfect. lib. 3. cap. 16.* Probè verò distinguenda est diarrhoea critica & symptomatica à verâ, in quâ solum V. S. dictis ex rationibus valet. *Cucurbitule* scarificatæ locum etiam inveniunt, quando diarrhoea à capite derivatur, scapulis dorsoque applicatæ: Eidem scopo inservient *vesicatoria. Frictiones & ligaturæ dolorificæ* in artubus supernis & infernis factæ satis potenter hîc revellunt.

§. XXI.

*Pharmaceuticus* fons varia variorum remediorum genera suppeditat, & quidem *purgantia*. Fortiora per alvum in nullâ diarrhoeâ conveniunt, quia irritantur istis crabrones, uti *Excellentiss. Dn. D. Ettmüllerus, Prof. Lips. Celeberr.* loqui amavit in *Collegiò practicò*. *Leniora* autem *evacuantia*, incipienti præprimis morbo, quæ blandissimè abstergunt & aliqualem adstrictionem relinquunt, satis commodè opponuntur; ex quibus præ aliis laudatur *rhabarbarum*, tostum & pulverisatum, & alia ex hîc præparata composita: *Syr. d. Cichor. c. rhab. Syr. rosar. solut. essentia seu anima rhabarbari. Aloe rosata, violata*  
*sim-*

*simplex* & cum *¶ro*, quæ omnia blandè educunt. Alii hic etiam commendant *mechoacann.* *alb. agaric. tamarind.* & alia. Formulæ notæ sunt apud omnes Practicos. *Clysters* quoque ad abstergendam & eluendam alvum, ex lacte, jure carniū, decoctō hordei, terebintbinā, melle rosaceō, vitell. ovor. herb. verbasci, malv. &c. chysmatic. vel commun. &c. ex usu non contemnendo esse possunt.

## §. XXII.

*Vomitoria* conveniunt in diarrhoeā, principio ejusdem opposita, si nausea adsit, aliaque ventriculi & præcordiorum symptomata urgeant. Saburram ibidem latitantium humorum quantocyū rejiciunt, atque ex toto corpore eō quasi revulsos eliminant. Commendantur inter alia *¶. emeticus Myns.* ritè paratus, *rosa vitæ mineralis*, *bezoard. emeticum Sennerti*, *crocus metallorum absinthiac.* ejusque infusum, *essentia vomitoria D. D. Mich. Syr. emeticus Ludovici*, & alia.

## §. XXIII.

Neque *Diureticorum* hic omnis est rejiciendus usus, quorum beneficio mictus promovetur, humorumque fit diversio: Valebunt *Spir. Ois* rectificatus, simplex, compositus, dulcis, vel solus, vel aliis ad gratam aciditatem additus medicamentis. Huc quoque spectant *emulsiones* ex seminibus 4. frigidis paratæ, quæ incrassandi virtute, pollentes humorum acrimoniam temperant, & per *□nl* educunt.

## §. XXIV.

§. XXIV.

*Diaphoretica* nunquam hic videntur omitti posse, sed singulis medicamentis admisceri; præcipuè in formâ siccâ, quâ præcipitant, simulque leviter adstringunt, suntque  $\text{B}$ . *diaphor. bez. Tritale, spodium seu ebur s. Δ.* paratum, *C. C. c. vel s. Δ. parat. pulveres bezoardici albi & rubri* variorum Autorum, *lapides B. corallia rubra, Mitbridatum, Theriaca, & ejus essentia, Ra bezoard. balsamica, diafscordium Fracastorii, & similia;* quæ vel per se sola, vel aliis specificâ virtute pollentibus & adstringentibus permista, magis figentia propinantur. Talia sunt: *radix tormentill. ejusque extractum, bistort. cydonia, fructus acacia. pruna acida, &c. in liquore convenienti aut ∇. cinamom. cydoniat.* Item: *rob de serbo aucup. syr. granator. myrtinus, stypticus Myns. &c. Terra sigillata, ∇ japonic. bolus armen. crocus ♂. adstring. ejusque essentia, lapis hematites naturalis & artificialis, sanguis draconis;* quæ omnia egregia sunt, & vel alterandi, vel confortandi vires sustinere queunt, modo præ varietate causarum misceantur & accommodentur. *Tbermarum* usus autoritate, *Riverii lib. 2. cent. 47. ad diuturnam diarrhoeam commendari poterit.*

§. XXV.

Inter *corroborantia*, ventriculi tonum & intestinorum naufragium respicientia non solum jam recensita, sed & sequentia, modò febris absit, laudantur:  $\nabla$ . *Mentb. spirituos. ∇. cinamom. cydoniata, spiritus & essentia theriacalis, mastichinus Dn. D. Pauli, elix. cinamom. Michaël. pulvis stomach. Quercet. Zedoaria, mastix, nux moschat. succinum;*

G

num;

num; it. *absinth.*, *mentha*, *calam. aromat.*, *myva cydoniata*, *c. aromat. conserv. rosar. rubr.* & ex his parata plurima, quorum fit mentio apud Practicos. His non raro, neque sine efficaciam conjunguntur ex *Opio* parata medicamenta, *laudanum de tribus*, *extract. laudani Langelottianum*, *essentia anodyna*, *magisterium anodynum*; quorum vis unita cum precedentibus generosiora longè reddit eadem.

## §. XXVI.

*Externa* hic quoque plurimum valebunt, roburque toti ventri, & omnibus in eodem contentis visceribus adhibentur imposita. Materia horum varia est;  $\odot$ . *nucist. express.*  $\odot$ . *Stta macis*, *maslich.*, *menth.*, *juniper. carvi*, *cumini*, *caryophyl.*, *nard.*, *carminativ. compos. balsam. peruvian. balsam. stomachalia composita*; ex quibus vel linimenta vel unguenta parari solent. *Emplastra*: de *Crustrâ panis*, *theriacale Crollij*, *crotum stomachale* & ex eò paratum *linimentum stomachale Foresti*, quod maximè laudat Autor. Similiter ex *masliche*, *theriacâ veter. & recent.*, *menthâ*, *nuc. moschat.*, *zedoar. absinth. rosis rubr.*, *cumin. galang.*, & *aromatibus* aliis cum fermento panis *cataplasmata*, vel etiam sine hoc *epithemata* formantur, tam epigastricæ, quàm umbilicali regioni applicanda. *Fomenta*, si necessitas urgeat, ex *tormentill.*, *alb. chelidon. major. verbasf.*, *chamomill.*, *salviâ*, *conyza* & aliis parata admitti possunt.

## §. XXVII.

*Dieta* sex rerum non-naturalium usu legitimò absolvitur. (1.) *Aër* purus, calidus, temperatus eligendus. Frigidus & pluviosus magis disponit ad diarrhoeam. Corrigitur commodè *thure*, *myrrhà*, *succinò*, *spicà* & aliis. Nimis æstuans evitandus, cum constet diarrhoeam infestare sæpissimè æstivalibus aut canicularibus diebus. (2.) *Cibus* sit ὀλιγος, paucus, moderatus, ne oneretur ventriculus. *Panis* benè fermentatus & benè coctus, & si placet, bis coctus cum vino madefactus. *Carnes* juniores assatæ, elixæ cum aromatibus conditæ, poma cydoniorum coctæ & pruna acida, puliculæ ex orizâ, miliò cum lacte coctæ, mespila nondum matura aut nondum mollia, ova durius coctæ, cum ἴστο rosac. *Pinguia* omnia evitanda, dulcia, & lac, quando febris adest. *Potus* modicus, non frigidus, nec adeò calidus. *Cerevisia* benè defœcata, vetustior magis quam recens, cum pane tostò & nuce moschatâ medicata. *Vinum* rubrum & aliud etiam, si febris absit, chalybeatum, vel cinamomo, caryophyllis, cydoniatum, aromatifatum, quali sæpè hypercatharsis sistitur; est enim medicamentosus potus, stomacho gratus viresque debiles restaurans. (3.) *Mortuus* mediocris corporis non nocet; violentus autem nimiusque evitandus. Neque *quies* nimia concedenda; Omnia hic temperata esse debent, sicuti etiam (4.) *Vigilia* nimix compescendæ sunt, quæ diuturniores corpori plures parere solent molestias. Somnus verò magis suadendus, qui sæpè solus hòc in affectu fuit remedium optimum. (5.) *Excretorum*,

1528.

§§ (20) §§

& retentorum ratio ex præcedentibus patet. (6.) *A-*  
*nimi pathemata* temperentur mediocritatis frenò. *Ter-*  
*ror & mæror* fugiantur cane pejus & angue, ne acri-  
oribus humoribus anfa porrigatur major. Contra  
promoveatur *bilaritas*. Et sic præscriptis hisce legi-  
bus probè observatis, fluxus alvinus, compeſcetur totus.

DEO TRIUNI SIT LAUS, HONOR  
ET GLORIA, IN SECUA  
SEMPITERNA!

**F**Luxum dum ventris tra-  
ctas, fluit ore disertò,  
quod tenus hâc coluit mens  
tua & ingenium.

Nunc honor inde tibi fluit &  
laus, Clare CANIZI;  
quæ comitabuntur gloria,  
Sponsa, salus!

*Nob. & Cl.*

*Dn. Doctorando, Amico honoratissimo,  
de novis hisce honoribus  
ex animo gratulatur*

P R Æ S E S.

*Hacte-*



**H**Actenus in praxi quæ par-  
ta scientia rerum  
sit tibi, CANITZI, hæc pagina  
docta docet.

Agmina morborum posthinc  
quoque pellere perge,  
gloria sic crescet non moritu-  
ra Tibi.

Nomen, opes, famam cumules  
hâc arte perennem!  
comprecor ex animo, Fautor  
amande, Tibi!

Nobilissimo  
DN. DOCTORANDO  
GRATULAB.

*deprop.*

Rud. Wilh. Krauß/D.  
Prof. Publ.

C 3

Irc

**I**Re per ambages, atque hinc cum  
pace remitti  
corpore debebat pars onerosa,  
cibi.

Ast, quando accelerat cursum, cor-  
repta fluore,  
fex vitæ insidias seditiosa  
struit.

Tu salubri freno motos compone-  
re fluctus  
aptus honore micas, quem dat  
hygeia Tibi.

*Nob. Dn. Doctorando successus feli-  
cissimos gratulor*

Georg. Wolfg. Wedelius, D.

*Ha*



**H**actenus infundunt, Fautor,  
 Tibi plurima Musæ;  
 Illas ed effundunt os calamusq;  
 Tuus.

De facili fluxu summus testatur  
 Apollo,  
 De fluxu nimio dum Tua verba  
 facis.


Gratulor inde Tuis studiis, fluxum-  
 que secundum  
 Apprecor, ex voto, quò TIBI cun-  
 cta fluant!

Hicce Nobilissimo atq; Experientissimo Dn. Ddo,  
 Practico in Salinis Majoribus & apud Magdebur-  
 genes haectenus felicissimo, Fautori suo honora-  
 tissimo, de Summis in arte Medicâ honoribus, ex  
 meritò impetrandis gratulari debuit, voluit

W. M. M. C.

Must

1522



**P**Rodit en! iterum felici sidere tempus  
Lætum, quod pueris munera ferre solet!  
Hoc, Salana Tibi meritos concedit honores;  
Patria sed sponsam; Singula fausta sient!

*Sic*

*Clariss. Dn. Ddo*

*fautori & amico exoptatissimo*

*vovet*


**J. M. Bertuch.**


**W**ist Er/geehrter Freund/ der Peste gleich entweichen/  
als Er gezwungen/ Uns damahls verlassen hat/  
Und/konte Er furch Ihm/den Lorber-Krang nicht reichen/  
So thut es Jena doch/die Hochberüimte Stadt/  
Allwo mehr denn zu viel gelehrter Leute leben/  
Wer kennet Wedeln nicht/den weitberühmten Mann?  
Was Krause und auch Sasch/ für Anlaß werden geben  
Zur Medicin/wird Er/ mit Nutzen nehmen an.  
Ich wünsche alles Glück zu seinen neuen Ehren/  
mit welchen Jena Ihn bekröhet von sich läßt/  
Gott wolle nun darzu auch förderlichst bescheren  
ein angenehmes Kind/so Ihn vergnügt aufs best.

Zu Bezeugung seiner Schuldigkeit überschickte  
dieses aus Erfuhr

**J. M. R.**  
Jur. C.








## Index.

1. De Valetudinariis Infantile	Sturmüller.	—	i.
2. De valetudinariis natura & usū,	Kemper.	—	57.
3. De Antipræca viscerum,	Wedell.	—	97.
4. De Contagijis malignis, Körper.	—	—	129.
5. De Luce venerea, Sennert.	—	—	153.
6. De Morbo Hungarico, Fafch.	—	—	201.
7. De Luesana Intermittente, Rolfin.	—	—	253.
8. De Convulsione, Wedell.	—	—	293.
9. De Convulsione, Schenckig.	—	—	309.
10. De paralyſi, Wedell.	—	—	353.
11. De Inflammatione, Widmarcker.	—	—	393.
12. De Oedemate, Fafch.	—	—	415.
13. De Cephalalgia, Bohne.	—	—	445.
14. De Ambulatione in Somno, Schenckig.	—	—	462.
15. De Mania, Rolfin.	—	—	502.
16. De Mania, Wedell.	—	—	569.
17. De Erotomania, Loſſig.	—	—	585.
18. De Morbo caduco, Richter.	—	—	629.
19. De Apoplexia, Frideris.	—	—	657.
20. De Epilepsia, Wedell.	—	—	697.
21. De perſurgilio, Wedell.	—	—	739.
22. De Viſū, Wedell.	—	—	787.
23. De Dentitione Infantum, Wedell.	—	—	819.
24. De Odontalgia, Krauſe.	—	—	851.

Ute.

Index

25.	De Raucedine, Wedell.	883.
26.	De lasinitis Crani, Meibom:	935.
27.	De parotidis, Pasch:	967.
28.	De Respiratione, Otmüller.	991.
29.	De Catarro suffocativo.	1103.
30.	De pleuritide. Krause.	1151.
31.	De Hyra pleuritica, Wedell:	1191.
32.	De phthisi, Friderici.	1207.
33.	De lade Humano.	1263.
34.	De ovu Humano, Garman.	1295.
35.	De Inkerillitate Ventriculi, Koppe.	1327.
36.	De dolore hypochondriaco, Otmüller.	1347.
37.	De suffocatione Uterina. Pasch:	1379.
38.	De partu difficili, Wedell:	1419.
39.	De Stranguina Friderici.	1459.
40.	De Diarrhaa Pasch:	1499.
41.	De Hæc, Heinsig.	1523.
42.	De Infantibus suppositivis.	1587.
43.	De fontibus Soterijs, Kalchhoff.	1635.
44.	De Brachia Tarentino, Schmid.	1661.
45.	De observatione medico-Anatomica, Epistola Gläuben.	1699.




153154

X2615746

R

W17







40. 61 1799.

Q.D.B.V.  
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
De

# DIARRHOEA,

Quam,  
DIVINI NUMINIS AUSPICIO,  
JUSSI ET AUTORITATE

GRATIOSISSIMI MEDICORUM OR-  
DINIS IN HAC ALMA SALANA,  
PRÆSIDE

RECTORE h.t. MAGNIFICO,  
DN. AUGUSTINO HENRICO  
FASCHIO,

Med. Doct. Anatom. Chirurg. & Botanic.  
Prof. Publ. Archiatro Ducali Saxonico,  
Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore suo submissâ veneratione colendo,

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME  
CAPESSENDI,  
publico examini submittit

DAVID Ranitz/  
Ilenburgensis Misnicus, Practicus Magde-  
burgensis.

IN AUDITORIO MAIORI  
Horis ante- & pomeridianis convetis  
Ad diem Decembr. Anno cLo. lco. LXXXII.

